

cæsis, partim pulsis; breve exquisite adeo communivit, ut tutissimum Pannoniæ propugnaculum adversus Turcas haberetur. Alia quoque, & ceteris gravior, qua induciæ abrumperentur, occasio acceſſerat, ex diffidiis inter Petrovichium Temisvari Comitem ac Georgium Varadini Episcopum ortis, quibus atroci bello Pannonia, ac Dacia conflagrarent. Hi Stephani, Joannis quondam Daciæ Principis filii, tunc Pannoniæ Regis, ob teneram ætatem tutores erant. Petrovichius Turcarum moribus assuetus, Stephani juventam ex illorum consuetudine, ac disciplina formare aggressus, pueri educandi, atque erudiendi curam ad se attraxerat; a cuius consiliis Isabella mater, Sarmatiæ Regis soror, non discedebat. Contra Episcopus ab illorum sententia abhorrens, cum sæpius acriter obſtitifſet, tandem ita provocavit, ut Petrovichius armis decernendum statueret; verum improspero exitu, quod Georgius magna auctoritate, atque opinione virtutis, gentis illius animos adeo sibi conciliaſſet, ut omnes cum illo casus subituri viderentur. Quapropter Petrovichius ad Turcarum auxilia confugit; pensionem, quæ annuatim decem millium aureorum pendebatur, si sibi regni procuratio obtigifſet, augere pollicitus. Georgius de Petrovichii consiliis edoctus, cum ad potentissimi hostis impetus excipiendos dispares nimium regni vires inspiceret, Ferdinandi Regis Romanorum opem implorare decrevit, illustria Daciæ regni præmia ostentans, quod ad Ferdinandum, uti Pannoniæ Regem, spectaret. Hæ renovandi terra, marique inter Cæfarem, ac Suleimanum belli causæ in sequentem annum fuere, quo ex bello christianæ reipublicæ ingens malorum cumulus imminebat. Venetis, ne ad pacis otium, quo tunc Republica fruebatur, turbandum gradus fieret, pertimescendum erat; cum negotium de induciis in quinquennium prorogandis, quod Joannes Maria Malvetius, Romanorum Regis legatus, Byzantii pertractabat, ob eas causas irrito eventu cefſifſet.

Cæſar vero, ac Ferdinandus fratres, spe Daciæ potiundi illecti, pecuniam undique cogebant; copias, ut proximo vere Georgio præsto eſſent, parabant; quæ eo majore studio a Cæſare curabantur, quod, fratre Germanicis opibus ſuffulto, atque ad Daciæ imperium aspirante, haud mediocri ſpe evehebatur,

1550

*Difſidia in-
ter pupilli,
Joannis
Regis Hun-
gariaſ filii,
ſuſores.*

*Petrovi-
chii, Te-
misvari Co-
mex, Turca-
rum auxi-
lia poſtu-
lat.*

*Georgius
Varadini
Episcopus
Ferdinandi
Regis opem
implorat.*